

CAPVT II.

3

Hippocratem sanè, summum Artis megistanem, & clinicum elegantissimum, chirurgicaeque disciplinae peritissimum, incomparabilem ad primè fasciarum machinatorem, rei ejusce nihil nos docuisse, permirum est: Arabibus potiùs, qui aliàs praeter Graecorum meros beneficiarios vix quicquam sunt, ea industriae laude, quicquid etiam dicamus, relicta.

Origo.

AVENZOAR enim primus adparet, qui in *capra* ausus est attentare, & periclitari; quid penes homines ea sectione proficere liceret, ubi & eam post, quàm ritè jam successisset, libera dein manu aggressus est: quem videsis Tract. 10. l. 1. c. 14.

Istum **ALBUCASIS** postmodum alter popularis insecutus, non minùs feliciter in *serua* quadam ejus successum deprehendit: ut l. 2. c. 43. is testatum reliquit.

Atque ex hoc fonte scaturiit, quicquid posteris in eo conatu, ad modernam usque solertiam, relictum fuit.

CAPVT III.

Quid verò *Bronchus* sit, ut primò omnium rectè accipias, id verò peropus est; ne multùm de iis anxius, quae praeter naturam ei constituto obveniunt, naturam adhuc ejus penitiorum ignores: monitore talium l. de Ossibus Galeno.

Subje-
ctum.

Eo verò nomine *Laryngem* insignimus praecipuè, *cannam* (seu malis cum illo Medicorum Tullio **C E L S O** *fistulam*, aut magni Riolani imitatione, concinnè ut ejus sunt omnia, cum additamento, *spiritali*, ceterisque

l. 3. c. 14.

B 2

Gallis